



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio XI. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per  
solos actus externos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

adnotatiunculis ad has propositiones tot in-  
posturis mihi notum.

### PROPOSITIO X.

**N**on tenemur proximum diligere actu intern-  
& formali.

### PROPOSITIO XI.

**P**raecepto proximum diligendi satisfacere pos-  
mus per solos actus externos.

Harum propositionum autores citat Jesu-  
tas Lovanienses in suis Thesibus ad disputatio-  
nem propositis.

Theses illas vidisse potuit accusator : an in-  
tellegerit nescio. Ego scio, me identidem  
Theses istius generis & à Jesuitis, & ab aliis,  
quibus parcat odio Jesuitarum, sic audisse de-  
fendi, ut aliud sibi non vellent illi Theologia,  
quam dari quidem *praecceptum speciale* exhibendi  
proximo quaedam officia; legem tamen illam  
non obligare ad *specialem amorem* internum;  
quod ipsum suis Thesibus identidem expresse-  
runt; ut quæstio præscinderet, ex quo alio  
motivo deberent proximo exhiberi illa officia;  
an scilicet ex motivo charitatis erga Deum,  
aliove honesto fine. Nam certe quidem reban-  
tur, præcepto caritatis erga proximum sa-  
tisfactorum, qui pauperi eleemosynam largi-  
retur ex purissimo Dei amore; ita ut alius  
proximi *amor specialis* non interveniret præter  
hunc



hunc, & ex hoc natam voluntatem, quâ proximo vellet largiri eleëmofynam, qui revera est aliquis amor, cum sit velle bonum pauperi.

Si quis contenderit, etiam hoc sensu damnatam esse propositionem 10. & 11. nihil ea res anget Jesuitas, aut alios Religiosos, qui Theses istius generis defenderunt. Imperitissimus est rerum Theologicarum, qui ignorat, quàm communis illa fuerit doctrina, etiam in Lovaniensi Schola. Imo Theologum mihi opto nominari, qui negaverit, illum satisfecisse præcepto caritatis erga proximum, qui opera misericordiæ externa ei impenderit omnia non nisi ex purissimo Dei amore.

Neque alio sensu Patronus Illarum propositionum citari potest Tamburinus, qui itidem accusatur: audiatur ipse l. 5. c. 1. n. 1. *Certum, inquit, mihi videtur, non adesse obligationem eum diligendi per aliquem actum internum expresse tendentem in ipsum proximum: SATIS ENIM SUPERQUE EST, SI AMES DEUM, EJUSQUE VOLUNTATEM VELIS EXEQUI; ut sic enim jam involvitur amor proximi, qui est de Dei voluntate.*

Sed neque alius fuit sensus S. Bernardi, cui malus quispiam posset affricare invidiam damnatæ propositionis, cum serm. 50. in Cantica sic doceat: *Est charitas in actu, est & in affectu: & de illa quidem quæ operis est puto datam*

tam



tam esse legem hominibus, mandatumque formatum . . . . illa mandatur ad meritum, ista in premium datur . . . . cum dixisset Dominus, diligite inimicos vestros, mox de operibus infert: benefacite his qui oderunt vos . . . . sic te ergo necesse est & illud accipere, quod juberis diligere proximum tuum, sicut te ipsum. Post hæc omnia: Neque hoc dico, inquit, ut sine affectione simus, corde arido solas moveamus manus ad opera. Mox verò satis habet præscripsisse affectionem, quam ratio regit.

Per me licet, ut non alia mens fuerit Jacobo Pontani Lovaniensis Doctoris, cum Lovanii die 17. Aprilis 1652. hanc Thesim propugnavit: *Non est præceptum per se obligans ad amorem internum proximi.* Itidem ut neque alia mens fuerit illius Doctoris, qui Lovanii die 17. Januarii 1630. defendit Thesim hanc: *De necessitate charitatis est, inimicos diligere, sic ut statim odium deponamus, & communia signa dilectionis ostendamus.* At specialem actum dilectionis suffecerit in animi preparatione habere. Extant hujusmodi Theses complures.

## PROPOSITIO XII.

**V**ix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquando tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Auctor